



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Joannis Nadasi, è Societate Jesu, Annus Caelestis,
Jesu Regi, & Mariae Reginae, Sanctorum Omnium Sacer**

Anni Caelestis Dies, & Festa Mobilia

Nádasi, János

Coloniae Ubiorum, 1667

12 Junii. Pridie Id. Junii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53527](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53527)

12 Junii. Pridie Id. Junii.

Sancte Onuphri, qui plus quam
 quinquaginta annis, nullo ferè
 mortalium viso, in antro latuisti;
 cui palma ante fores cibum, aquam
 Angelus ministrabat; cui octavo
 quoque die Jesus, in pane Angelo-
 rum absconditus, pompâ Angeli-
 câ est allatus, pro tuæ nutrimento
 virtutis; quem moriturum Paph-
 nutius invisit, mortuo verò lætas
 Angeli exequias cecinerunt. Sancte
 senex, qui præ Deo planè omnia
 contempstisti; ora altissimum De-
 um, ut altissimâ quâdam æstima-
 tione magis æstimem æterna illa
 & bona, & mala, præ his bonis &
 malis, quæ brevia sunt, non æterna;
 sequar alta, ac æterna, maximâque,
 ac prima æternitatis principia, &
 ex illis feliciter vitam concludam!
 Amen.

Sancti Basilides, Cyrine, Nabor,
 & Nazari, milites, illustri sanguine,
 militiâ, martyrio nobilissimi; qui
 cælesti luce in carcerem delapsâ,
 Marcellinum, aliósque ad Chri-
 stum convertistis; & scorpionibus
 cæsi, securi tandem percussi
 estis.

Gg

S. Anto-

S. Antonina, fustibus, equuleo,
flammis, gladio Martyr.

S. Olympi Ep. pro fide Catholica
exul.

S. Odulphe Presb. zelo, & mira-
culis laudatissime.

S. Amphion Ep.

OMNES SANCTI, &c.

pag. 320.

S. MARIA, qua hodie sub tuo pallio
illos, qui tibi commendati fuerunt, of-
tendisti: tege me auxilio tuo, potentis-
sima Domina: doce, sub tuum pra-
sidium benè semper confugere, ne per-
eam!

13 Junii Idibus Junii.

SAncte Ferdinande, seu, S. Antoni
de Paduâ, ob memoriam, ac elo-
quentiam à summo Pontifice, *Arca
testamenti*, vocate; qui praefocare te
conantem dæmonem, solo MARIE
nomine fugâsti; qui mortui avari
damnati divitis cor, non in pectore,
sed in cistâ illius, esse demonstrâsti;
quando cor ejus, non in corpore,
sed inter ejus olim nummos, re-
pertum est. qui ab Angelo, Paduâ
Ulyssipponem, divinitus portatus,
ibi occisum puerum interrogâsti,
num à tuis parentibus fuisset occi-
sus?